



7
25
1778 2177
y

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

D. GEORGIVS STEPHANVS

WIESANDIVS

PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS CVRIAE

PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII

IURECONSULTORVM ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM

Inert:

*De consiliis estum,
qui ius Romanum ex Germania proferendum
esse existimant.*

J.

ORDINIS IURIDICI

IN

ACADEMIA VITIMBERGENSI

H. DECANVS

D. GEORGIVS STEPHANVS

WISSENDVS

PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS SVRIAE

PROVINCIALIS SCABINVS ATQVE COLLEGI

IRRECONSULTORVM ASSESSOR

RECTOR BENEFOLIO

SAEPTIM

Handwritten notes in cursive script, including the word 'confessio' and other illegible text.



Populus Romanus vii rerum praeclare gestarum gloria; sic quoque legum sapienter latorum fama maxime floruit, hisque non minus ac illis, laudes immortales sibi peperit. Contigit enim reipublicae Romanae ea felicitas, ut non solum gloriosis victoriis, sed etiam legibus optimis imperium feliciter amplificauerit. Habet omnino Roma illustria virtutum eximiarum, inprimis castitatis, frugalitatis bellicaeque fortitudinis exempla, quibus legendis accurateque contemplandis, quisquis nondum omnem humanitatem exiit, vehementer oblectatur. Quamuis vero postea ab auitis virtutibus descenderit, varias quoque fortunae vicissitudines subierit; ea tamen, quae bonis legibus fuit comparata, gloria ideo haud fuit immiuta. Deuicti fuere Romani a nationibus barbaris, sed ipsi victores gentis, cuius imperium frugerant, legibus se sponte subiecerunt. Inde factum est, ut Gothi et Longobardi^{a)} multa ex fontibus iuris Romani hausta, in sua commoda deriuauerint. Neque quis temere negauerit, in antiquissimis Germanorum legibus reperiri perspicua sapientiae Romanae vestigia^{b)}, quae quidem, cum alii hac opera iam feliciter functi fuerint^{c)}, in praesenti certius ostendere nihil attinet. Licet vero aetate media Germania bellis inter-

a 2

finis

- a) Casiodorus *Variar. Libr. 8. cap. 3.* Leges Luitprandi in *collect. Georg. sch. p. 1074.* De usu iuris Romani in Italia sub imperio Longobardorum in primis adeundus est Muratorius in *antiquitat. Italic. Tom. II. p. 239. seqq.*
- b) Vide *Leg. Satic. Tit. 14, 16. Leg. Ripuar. Tit. 61. Additament. ad Leg. Burgund. Tit. 1, 7. Baimuar. Tit. 1, 13, 2. Capitular. reg. Francor. Libr. 6. cap. 327.*
- c) Conferatur Heineccius in *histor. iur. Libr. 2. cap. 1. §. 13. seqq.* et Hoffmannus in *specim. coniecturar. de orig. et natur. leg. Germanic. Cap. 2. sect. 4. §. 2.*



stinis perturbata, in eam conditionem inciderit, vt obortae controuersiae non tam iure et legibus, quam potius vi et armis dirimerentur; non tamen defuere iusli aequiue defensores barbaris moribus, quibus vita humana vehementer affligitur, maxime infensi. Praefertim vero ii, quorum consiliis utebantur principes, cum necessitate, tum utilitate ducti, vt negotia grauiora a fraudibus hominum malitiosorum praestarent tuta, ad ius Romanum tanquam ad asylum confugiebant. Hinc varia negotia a personis illustribus contracta, saepe videmus, clausulis peregrini iuris ab omni iniuria fuisse defensa^{d)}. Ipse Repkouius, licet mores Saxonum priscos diligenter collegerit, atque, vt eosdem ad posteros transmitteret, summo studio curauerit, iuris tamen Romani vsum haud spreuit^{e)}. Huc accedit, quod tota Germania acerbis diffidiis agitata, in duas potissimum factiones discesserat: quarum vna auctoritatem pontificis maximi, altera vero Imperatoris augustissimi maiestatem, omni animorum contentione propugnabat. Illa tutum praesidium in iure canonico quaerebat; haec iuris Romani auxilio nitebatur^{f)}. Cum quoque in Italia plures exorirentur magistri, a quibus iurisprudentia Romana distinctius explicabatur, Germanorum iuuenes ipsius artis praestantia doctorumque fama pellecti, ad hos cupidis animis confluxebant, et, quae praecepta ibi didicerant, in patriam reuersi, postea muneribus publicis praepositi, ad negotia feliciter expedienda, atque ad lites forenses rectius diiudicandas, transferebant. Qua quidem re id effectum est, vt in condendis iuribus Germani-

d) Exempla exstant in Leibnit. *codic. iur. gent. diplomat. P. I. n. 93.* et in Meichelbeck. *histor. Frising. Tom. II. p. 32.*

e) Vide *ius prouinc. Saxon. Libr. 1. art. 37. et Libr. 2. art. 63.* Conferatur Ayer. *de aetat. specul. Saxon. §. 17.*

f) Iura Romana tunc leges saeculi, siue saeculares fuerunt appellatae. *Caus. 35. Quaest. 5. cap. 2.* Consulendas quoque de Senckenberg. in *method. iuris-prudent. p. 111.*



manicis, maxima legum peregrinarum haberetur ratio. Hinc ius Romanum quoque publica auctoritate receptum atque ciuitate quasi Germanica donatum fuit ^{g)}. Confitentur intelligentissimi iurium nostrorum arbitri ad vnum fere omnes, hodie in vniuersis, quibus Germania regitur iuribus, siue publica, siue priuata commoda respiciunt, siue ad causas ciuiles, siue ad criminales pertinent, cum recte interpretandis, tum iisdem apte ad negotia applicandis, ius Romanum, quoties iura domestica moresque patrii deficiunt, in subsidium esse adhibendum. Quae licet ita sint, non tamen desunt, qui ius Romanum tamquam iniquum et inutile exagitent illudque de diuturna, quam in patria nostra tenuit, possessione deiicere cupiant. Quorum opinionibus ne quis se auferri finat, iam opportuna scribendi occasione oblata, de consiliis eorum, qui ius Romanum ex Germania proferribendum esse existimant, breuiter exponamus.

Duplex vero genus eorum, qui iuris Romani vim atque auctoritatem impugnant, nobis exstare videtur. Sunt, qui existiment, illud propterea quod subtilitates inuiles tradat, multaue proponat difficultia, obscura, obsoleta quoque et iniqua, ordine concinno haud coniuncta, in genere esse reiiciendum. Hi igitur aliis persuadere volunt, illud ius, cum a simplicitate naturali nimis recedat, nulli reipublicae esse commodum. Alii e contrario mitiorem quidem amplectuntur sententiam, atque per multa a Romanis sapienter fuisse constituta, concedunt; eorum tamen iura statui moribusque Germanorum esse prorsus contraria eademque cum magnis nostrorum ciuium incommodis, vsu
a 3
fori

g) Iam in *aur. bull. cap. 24.* infant iuris Romani vestigia. Postea Maximilianus I. in *Constitut. Wormat.* de anno 1495. ad auctoritatem Iustiniani prouocabat eamque constitutione, qua anno 1512. notariorum officia descripsit, valde augebatur. Adde *Ordinat. iudic. camer.* de anno 1555. *P. I. Tit. 13. 1. Ordinat. iudic. imperial. aul. Tit. 1. 15.* et Caroli V. *Constitut. criminal. art. 117. 118. 120. 135.* Multa hic lecta digna exhibet Linck. in *diff. poster. de iur. Iustinian. recept. n. 22. seqq.*



fori fuisse inuecta, contendunt. Vt recto ordine procedamus, prioris generis aduersarios primo aggrediamur. Dispicent vero iis maxime acutae, quibus Iureconsulti olim fauerunt, subtilitates. Improbant fictiones callido consilio excogitatas, atque varia actionum genera in iisdem inaedicata, solidis fundamentis inniti, negant. Iniquis ferunt animis, testamenta inofficiosa eo colore, ac si testator mente prorsus sana haud fuerit praeditus, rescindi. Instant acrius ac potissimum ea, quae de seruitutibus rerum diuersisque stipulationum formis et partitionibus passim sunt prodita, tamquam ingenii humani ludibria, acerbè traducunt. Sed hi velim cogitent, veterum Romanorum placita non ex genio moribusque nostri saeculi esse aestimanda. Multa, quae nimis subtilia videntur, si rationes legum probe expendantur, sunt satis plana. Sic, vt rem exemplo illustremus, plures sensum regulae, ad tempus deberi non posse, ^{h)} non ob magnam, quae in ea insit subtilitatem, sed potius culpa et ignorance, non affecti sunt. Si enim secum reputassent, solum tempus haud esse modum constituendae obligationis, ⁱ⁾ facile profecto intellexissent, eodem quoque solo obligationes tolli haud posse. Fac etiam, nonnulla paulo subtilius fuisse reperta, ea tamen, cum saluti publicae non repugnent, ideo vituperanda non erunt. Ipsa profecto salus publica, vt iuris antiqui rigor mitigaretur, remedia suasit inusitata quidem, innocentibus tamen, fortunae iniquitate laesis, valde commoda. Ex hoc certe fonte manarunt ista commenta, in quibus actionis Publicianae, rescissoriae aliarumque fundamenta fuere collocata. Ius vero Romanum multis difficultatibus esse implicium, ingenuè et nos confitemur. Complectitur enim multiplicem rerum prorsus diuersarum copiam, et, vt ipsa Romanorum respublica varias vicissitudines est experta, sic quoque ipsae leges saepenumero fuerunt immutatae. Neque

^{h)} Vide §. 3. I. de verbor. obligat. ⁱ⁾ Paulus in L. 44. D. de obligat. et actionil.

que sufficit, te vnicam duntaxat corporis vasti intueri portiunculam; sed omnia et singula eiusdem membra accurate sunt cognoscenda. Qui igitur ad hoc studium se conferunt, omnino iter longum, anceps multisque spinis confutum ingrediuntur, ad quod feliciter conficiendum multis profecto opus est subsidiis. Tenenda est vniuersa antiquitas, instituta maiorum inuestiganda, dictionum formularumque varia ratio percipienda, magistratuum, qui vel totam rempublicam, vel singulas eiusdem partes administrarunt, nomina separataque officia repetenda, vitæ singulorum Iureconsultorum intuentiæ, et, vt rem paucis complectamur, historia omnium legum diligenter tractanda. ^{k)} Facile igitur concedimus, obscuritates varias in iurisprudentia Romana esse obuias, sapientiusque id incommodi accidisse acutis quoque interpretibus, vt in ea, quam bono animo inierant via, in crassas tenebras inciderint. Nec id aliter fieri potest, cum scriptores veteres, quos in hoc studio tamquam fidelissimos duces sequi debemus, interdum nos deserant, vel lumina necessaria non praeferant. Sed ideo iuris Romani dignitati atque praestantiae nihil decedere, arbitramur. Etenim et aliae artes saepe magnis laborant incommodis. Neque rei alicuius discendae difficultas causa est satis idonea, cur eam tamquam inutilem rejiciamus. Multa, quae videntur obscura, si quis lumina historiarum inferat, nebulis dispulsis, efficiuntur clara. Tota scilicet iurisprudentia, vti a peritissimis harum rerum existimatoribus constanter iudicatum, est historica^{l)}, neque tot tamque turpes errores a Bartolo, Baldo, Irnerio, Accursio aliisque fuissent commissi, si illi in discenda historia studiosius fuissent versati. Sed aliud

^{k)} Commendanda sunt maximopere, quae Balduinus de institut. histor. vniuers. et eius cum iurisprudent. coniunct. Libr. 2. p. 174. seqq. in edit. Guindlingian. praecepit.

^{l)} Id satis monstrauit Schulting. in orat. de iurisprudent. historic. adiecta iurisprudent. Ante-Iustinian. p. 908. seqq.



aliud vitium arti nostrae obiiiciunt, dum eam rebus obsoletis fabulisque antiquis refertam esse, aiunt. Licet vero largiamur, multa, quae antiquitus obtinuerunt, successu temporis, partim moribus contrariis, partim vero expressis legibus fuisse sublata, inde tamen nec iusta vituperandi causa, nec quicquam periculi nascitur. Etenim conditio legum humanarum in genere sic comparata est, ut eae, uti ipsa rerum publicarum facies mutatur, variis quoque immutationibus sint obnoxiae. Quis quaeso adeo iniquus est, ut artes a maioribus inuentas ideo, quod posterius easdem magis perfecerint, vel alias longe commodiores introduxerint, contemnendas esse, existimet? Neque nos iura iam dudum abolita, antiquis duntaxat saeculis congrua, in usum reuocari volumus. Repudientur ista, dummodo iura recentiora conferrentur salua. At et labecula iniquitatis legibus Romanis adspargitur. Ut enim alia omittamus, nimis dura multis visa fuit ea, quae olim patribus dominisque concessa erant, potestas. Sed hic probe erit cauendum, ne quis abusum, qui moribus peruersis viguit, cum usu potestatis legitimae confundat. Deinde ii, qui rempublicam gubernant, non impediuntur, quo minus varia iura alias cum summa potestate coniuncta, ciuibus suis, salua maiestate, permittant. Certe olim praetores in eo maximo opere elaborarunt, ut ius aequabile atque aequitati naturali consentaneum, inter vniuersos ciues obtineret.^{m)} Quod si quis paullo attentius leges Romanas contempletur, luculenta vbius eius, quam ipsa ratio suadet, aequitatis vestigia, cernat, necesse est. Quae enim sana ratio vniuersis gentibus de castitate atque amicitia inter coniuges sancte custodienda, de liberis in commodum reipublicae educandis, de fide conventionum diligenter tuenda, de reuerentia parentibus pie praestanda, de obsequio magistratibus fideliter exhibendo, praescripsit, ea omnia tamquam necessaria vitae recte

^{m)} Conferantur in primis *Kortii vindictae praetor. Roman. et iur. honorar.* Lipsiae 1730. editae.

recte ac commode agenda praepcepta, serio traduntur. Si quem haec, quae attulimus exempla, ut nobis assentiat, nondum commoueat, eum rogamus, ut recordetur eximia beneficia tributa iis, qui dolo decepti metuque iniusto compulsi, aliquid promiserant, vel iuris ignorantia lapsi, aliquid detrimenti ceperant, quibus quidem insignis subuenit praetorum humanitas. Quin omnibus, qui honesta absentia, dura egestate, vel aliis causis probabilibus prohibiti fuerunt, quo minus sua negotia recte peragerent, gratum praetor pollicetur auxilium, atque iis, qui aliorum negotia gessere utiliter sumtusque impenderunt necessarios, vel utiles, licet cum iisdem nihil contraxerint, sola aequitate commotus, humaniter opitulatur. Sed cum iuris Romani aequitas a viris doctis iam satis acriter fuerit defensa, *) eius patrocinio supersedere possumus. Praestantia eius vel ex eo luculenter apparet, quod passim cum legibus, quas ipse Deus olim sanxit, amice conspiret. **) His in genere praemissis, viam, qua occurrere debemus reliquis aduersariis, iam satis munisse videmur. Qui vero iurisprudentiam Romanam ex vniuersa Germania proferibere cupiunt, duplex querelarum genus afferunt; quarum vnum ab iis, quas iam ponderauimus, causis profisciscitur; alterum causis propriis, a statu Germanorum singulari petitis, nititur. Posterius nunc paullo studiosius excutere iuuat. Primo quidem obiciunt, mores Germanorum et Romanorum toto quasi coelo inter se distare, ideoque minus apte iura peregrina in Germania adhiberi, putant. Hoc quidem prorsus non negamus, ipsique

*) Laudare hic debemus Graninae *orat. pro Roman. legib.* quae in eius *opuscul.* Traiecti ad Rhenum. 1713. editis, p. 63. *seqq.* reperitur, Bestii *orat. de aequitat. iur. Roman.* quam Neuhausius eiusdem *rat. emendandi leges* adiunxit, et Conradi *orat. quam de iur. et aequitat. inter se consensu* Lipsiae 1763. habuit.

*) Consulat *auctor collat. leg. Mosaicar. et Romanar.* in Schulting. *iurisprudent. Ante - Iustinian.* p. 727. *seqq.*



ipsique eorum studia explodimus, qui consules aliosque magistratus, quibus hodie utimur, cum Romanis comparare, imperium merum et mixtum iudicibus Germanicis tribuere famulosque certa mercede conductos, feruis Romanorum aequiparare haud erubescant, vel usum praesentem dominii quiritarium et emancipationis Romanae monstrare studeant. ^{p)} Ipsum coelum, in quo nascimur, alios mores postulat, atque ipsa rerum publicarum, quibus continemur, diuersa prorsus conditio aliam vitam exigit. Sed ideo totum ius Romanum ex patria nostra esse exterminandum, haud censemus. Etenim haec cautio semper est adhibenda, ut illud, saluis moribus patriis, incolumi quoque iure Germanorum proprio, admittamus. Quae igitur populorum Teutonicorum genius respuit, ea quoque usu probanda haud sunt. Deinde, insignem prorsus ex iurium domesticorum et peregrinorum commixtione perturbationem nasci, indeque periculosos errores in fora nostra fuisse inductos, aiunt. Licet vero hanc querelam non temere effundant, hoc tamen incommodum non tam vitio iurisprudentiae, quam potius culpa hominum, eandem vel minus recte interpretantium, vel minus apte ad negotia accommodantium, accidisse videtur. Multi enim, neglectis moribus patriis, vnice placitis Romanorum adhaerescunt exque iis omnes, quae in nostris foris obueniunt, controversias decidendas esse, opinantur. Sed hunc errorem omnes, qui verum diuersis iuribus pretium statuere didicerunt, vehementer detestantur. Porro aliam difficultatem ex eo oriri dicunt, quod mores domestici saepe numero iuri Romano repugnent ipsique iudices, quaenam regulae in litibus dirimendis sint obseruandae, interdum ancipites haereant. Haec vero difficultas facile superabitur, modo ea, quae in desuetudinem abierunt, ab iis, quae

^{p)} Quae incommoda ex peruersa iuris Romani applicatione oriuntur, satis probauit Gribnerus in *dissertat. de praecudic. princip. imperii ex abusu iur. Iustitiana*. Vitemberg. 1715. habita.



quae vsu fori sunt recepta, diligenter discernantur. Multa Romani constituerunt ex ipsis naturae fontibus hausta, quae praecpta gentium communia haud male dixeris. Inde quoque causam repetimus, cur ius Romanum a plerisque, qui Europam incolunt, populis comprobatum fuerit. ¹⁾ Alia e contrario ita se habent, vt solum statui Romanorum proprio conueniant. Communia, quatenus iura patria haud obstant, acri studio et hodie consecretur; propria vero, quibus mores patrii aduersantur, euitare et volumus, et debemus. Iura obsoleta, siue sunt origine Romana, ²⁾ siue Germanica, ³⁾ non amplius attendimus, licet ea ab artis nostrae studiosis, propterea quod primas iurium postea conditorum origines saepe contineant, negligenda haud sint. Magnam vero gratiam habere debemus hominibus pragmaticis, qui rerum forensium thesauros liberaliter aperuere, atque responsa prudentium laudabili studio collecta euulgarunt, quorum quidem industria effectum est, vt, quid praesens fori vsus ferat, melius sciamus. Denique Germaniae optime prospectum iri credunt nouis legum codicibus, quorum dotes mirificis laudibus commendant, quosque sine magno labore componi posse, aiunt. Vti vero ipsi ex animo optamus, vt felicitas iuris perspicui, aequabilis vniuersisque ciuibus commodi, aliquando Germaniae contingat; ita e contrario certissime sumus persuasi, consiliis eorum, qui in praesenti iura Romana abroganda esse censent, euentum haud esse responsurum. Scilicet iurisprudentia Romana tam altas radices in Germania egit et cum iure euellas. Nolumus hic in memoriam reuocare praeceas Germanorum leges, specula medijs saeculis confecta, atque antiqua iura prouincialia,

b 2

g) Id praee ceteris ostendit Arthur. Duckius de vsu et auctoritate iur. civil. Romanor. Libr. 2. cap. 2. segg.

1) Gellius Libr. 20. cap. 1.

2) Ceteratur Brokes de exigno antiquor. leg. Germanicar. vsu.



cialia, quibus varia iuris Romani capita sunt inserta. Ipsae sanctiones recentiores, quibus totae prouinciae, vel singulae vrbes reguntur, praesertim si materiam tutelarem, *) testamentariam, successiōnem legitimam, legatorum formam, exheredationum causas, diuersa contractuum genera variosque obligandi modos, criminum quoque persecutiones poenasque iisdem constitutas propius consideremus, vbiuis iuris Romani decreta prae se ferunt. Si igitur ius Romanum tollis, ipsa, in quibus passim posita sunt iura patriae, fundamenta labefactas, sicque fiet, vt hac ruina magna pars iuris Germanici simul corruat. Deinde Imperium Romano-Germanicum ex variis ciuitatibus, quarum singulae propriis instruantur legibus, est compositum. Fac igitur, quosdam Imperii status in suis terris ius commune abrogare, alios vero idem diutius retinere, quae quaeeso inde oriatur iurium diuersorum inaequalis prorsus conditio? Quo iure in posterum varia personarum illustrium negotia eademque priuata erunt aestimanda? Quibusnam vero praeceptis nos, qui in academiis iurisprudentiam publice profitemur, iuuenes iurium cupidos, qui ex diuersis Germaniae prouinciis ad nos accedunt, sumus imbuturi? Ipsa munera, quae suslinemus, ratio a nobis postulat, vt certas iuris Romani partes explicemus. Est certe haec dos iurisprudentiae Romanae eximia, quod certas regulas praescribat, quibus omnes controuersiae, iure quidem humano diiudicandae, tunc, vbi iura propria moresque speciales deficiunt, vti in aliis rebus publicis, ita et in Germania commode deciduntur. Nec est, cur quis hic Suecorum et Danorum exempla, **) qui domesticis legibus

t) Non tamen negamus, in legibus Germanicis interdum discrimina iuris Romani, non tam ipsa re, quam potius dantaxat verbis inesse, id quod nuper docte obseruauit Illustr. de Belchow in *element. iur. German. §. 197. 3.*

v) In Suecia publice cautum est, ne quis ad iura peregrina prouocer. Vide *praefat. legibus Suec. prouincial.* a Io. Loccenio 1675. Londini Seanor. editis praemissam, et Carol. Lundii *dissertat. de instit. et iur. Sueonum*, cap. 4. §. 7. Conferatur quoque *cod. leg. Danicar.* a rege Christiano Veulgalgatus in *praefat.*

legibus contenti, iura peregrina repudiant, oblicere velit. Hæ enim nationes priscorum morum tenacissimæ, ius Romanum numquam publica auctoritate receperunt. Neque a regnis, in quibus potestas legislatoria ita exercetur, vt vniuersi ciues communi legum vinculo constringantur, ad conditionem Imperii Romano-Germanici argumentatio erit ducenda. Statuimus igitur, *consilia* nostrorum aduersariorum haud prius fore rata nobisque commoda, quam si in comitiis Imperii, communi Imperii consensu, codex iuris Germanici publica auctoritate compositus, ita comprobaretur, vt in locum iuris Romani abrogandi substitueretur. Quod licet accideret, iuuenes tamen iuris sapienter conditi studiosos cohortandos esse existimaremus, vt memores simul diurnæ, quæ inter leges patrias et peregrinas intercessit, amicitiae, discendæ iurisprudentiæ Romanæ adhuc aliquam operam nauarent^{u)}. Ita enim semper sibi persuasere homines liberalibus artibus dediti, ex iis, quæ supersunt, veterum Iureconsultorum monumentis, multum lucis affundi illustrandis scriptoribus priscis. Certe antiquitatum Romanarum et Byzantinarum studiosis codex cum Theodosii, tum Iustiniani auspiciis compositus, eximias utilitates affert. Ceterum institutum eorum, qui in eo iam versantur, vt dissipatas in corpore iuris ciuilibis leges in meliorem ordinem redigant et ad prima, vnde fluxerunt, præcepta reducant, vehementer probamus simulque optamus, vt Illustr. 10. Georg. Schlofferus telam, ^{w)} quam cum laude inchoauit, feliciter per-textat. Sed iam ad id, quod exequi cupio, propositum propius

b 3

acce-

^{u)} Commoda, quæ in genere ex iuris Romani studio nascuntur, eleganter docteq; exposuit Iacob. Facciolati in orat. qua probauit, expedire, omnes gentes Romanis legibus operam dare, sed suis viuere, p. 125. seqq. in *colleçt oration.* Patavii 1723. edita.

^{w)} In libello: Vorschlag und Versuch einer Verbesserung des deutschen bürgerlichen Rechts, ohne Abschaffung des Römischen Gesetzbuchs. Lips. 1777.



accedo, laetusque novos honores, quos nuper ab Ordine nostro sibi expetiit Candidatus praestantissimus doctissimusque, *Iacob. Christ. Reinholdus*, indico. De vita studiisque suis ipse haec tradit:

Ego IACOBVS CHRISTIANVS REINHOLDVS, natus sum Dresdae, pridie Calendarum Martii, anno recuperatae salutis 1756. Patre vtor IACOBO HENRICO REINHOLDO, iuris utriusque Doctore, Serenissimo Electori Saxoniae a consiliis aulicis, et primario praefecturae Dresdensis praefecto, quem, licet mihi infinita tribuerit beneficia, quae grata mente praedicare ipsa iubet pietas, ulterius tamen collaudare prohibet modestia. Mater mihi fuit RAHELIA CHRISTIANA, ex gente IÜNGERIA, iam anno 1765. rebus humanis erepta, cuius quidem memoria semper mihi erit sanctissima. Commendatus initio sui a patre meo, cuius curis, quidquid didici, debeo, magistrorum sanctissimorum disciplinae, quibus linguarum prima debeo elementa. Postea fidei IOANNIS HENRICI MÜKII, scholae Grimmenfis Conrectoris doctissimi, optimeque de me meriti traditus, Virorum Praeclarissimorum, KREBSII, MÜKII, HOFMANNI, REICHARDI et RICHTERI institutionibus, per quadriennium vii mihi licuit. Dresdam deinde redii, ibique per semestre spatium, linguis recentioribus atque litteris, quae ad humanitatem pertinent, institutus fui, simulque prima Iuris elementa accepi. Ita ad studia maiora praeparatus, academiam Vitembergensem adii, atque die 19. Aprilis 1774. civium litteratorum numero, a Rectore eo tempore Magnifico, GEORG. RYDOLPHO BOEHMERO, sum adscriptus. Comitum ducentumque studiorum primis annis habui virum probum atque doctissimum, CHRISTIANVM FRIDERICVM CONSTANTINVM, iam Accisarum, quae Dubeni ac Ileburgi sunt, Inspectorum. Audivi vero Exc. HILLERVM, artem logicam, et B. SCHMIDIVM, metaphysicam docentes. Ex ore Exc. EBERTI, h. i. Rectoris Magnifici, cuius insignem in me benevolentiam, cum contubernio ipsius perfrui mihi contigerit, gratissimo semper agnoscam animo, totam philosophiam, tam theoreticam, quam practicam, atque mathematicam puram et applicatam, privatissime summa cum voluptate hausi. Exc. ZEIHERVVM architecturam civilem, et Exc. TITIVM, physicam experimentalem explanantes, secutus sum. Nec negligendum credidi studium historicum, ideoque scholas Celebrerrimi SCHROECKHII in historia universalis, sacri

*sacri Romani Imperii, litteraria, sacra, Saxonica, et in commentationibus in schedas diurnas, frequentavi, B. autem RITTERVM notitiam rerum publicarum explicantem audiui. Praenobilissimo MEERHEMIO, quo Praeside etiam disputationem de utilitate expeditionum cruciatarum defendi, veterum quorundam auctorum, Exc. BODENO vero mythologiae explicationem debeo. In Iurisprudentia vero Doctores nactus sum viros, meritorum fama celebratissimos. Interfui Illustri CHLADENII praeflectionibus in ius publicum et Canonicum, ex quibus fructuosa locupletatus scientia, semper redii. Illustri KRAVSIO, processum iudicalem profitenti, sedulo assedi. Illustrem FISCHERVM, Wernheri Compendium iuris explicantem, magno cum fructu audiui. Illustri WIESANDIO me non minus obstrictum sentio ob multa egregie mihi ab eo tradita, inter quae institutiones, ius naturae, et ius Germanicum gratas refero. Nec defui disputatoris eius exercitationibus valde fructuosus. Multa denique me debere profiteor Viris Excellentissimis et Iurium Consultissimis, REINHARDO, KLÜGELIO et HOMMELIO. REINHARDVS quidem docte et facunde ius feudale et processum mihi exposuit, quem etiam me in relatoriis ducem maxime suspiciendum, et praesidem in conspectu publico de rebus ad contractum feudalem pertinentibus, gravissimum habuisse, semper grata mente recordabor. KLÜGELIO iuris cambialis explicationem debeo. HOMMELIVS, institutionibus, historia iuris, Pandectis, actionibus forensibus, et iure ecclesiastico enodandis, et examinibus priuatissime necum in omnem iurisprudentiam institutis, praecclare, id quod ingenue profiteor, de me meritus est. Denique Viri Excellentissimi atque Experientissimi LANGGVTHII scholis medicinae legalis interfui. Antequam vero abitum ex Academia pararem, ut fructus quorundam operae doctrinis addiscendis hucusque impensae colligerem, consueti subii examina pro praxi, notariatu, et iuris candidatura, atque ab illustri ICTorum ordine, dignissimus sui indicatus. Dignum quoque me ordo iste indicavit, qui et ad alterum examen, quod rigorosum vocatur, admitteret, in quo explicavi l. 9. C. d. col. lat. et c. 6. X. d. transacti. Eodem fere tempore Ordo Philosophorum Vitembergensium Clarissimus mihi summos in philosophia contulit honores, id quod gratas inter beneficia ab ipsis accepta refero. Postea mense Octobr. anni praeteritii Dresdam redii, ibique subinde institutionibus patris mei carissimi, cum in reliquis disciplinis, tum praecipue in Iurisprudentia pragmatica uti mihi contigit, id quod in summa felicitatis meae parte colloco. Consilio optimi patris, laboribus et rebus in praefectura Dresdensi obuenientibus, quantum
 pro*



pro temporis ratione licuit, vacavi. Venia denique a Summo regimine causas in foro perorandi impetrata, patrocinia forensia suscepi, nec in posterum quoque iis, qui operam meam qualemcumque desiderabunt, deero. Tam amicorum consilii ductus, in eo versor, ut summos in utroque iure adipiscar honores.

Cum vero noster Candidatus eximiam, qua praedictus est, doctrinam in utroque examine Ordini nostro luculenter probauerit, cunctis suffragiis, summis in iure honoribus dignissimus fuit iudicatus. Quibus rite consequendis ut aditum sibi patefaciat, propediem disputationem inauguralementem, Serenissimi Electoris gratia, sine Praeside, de consolidationis in feudo publico sacri Romani Imperii limitibus, publice defensurus est, cui quidem sollemnitati diem proximum Iouis destinauimus. Hunc actum sollemnem ut Rector academiae Magnificus, Illustrissimus Comes, grauiissimi academiae Proceres, omnes diuinae humanaeque sapientiae Doctores, nec non Generosissimi ac nobilissimi academiae Ciues, honorifica praesentia illustrare ac condecorare velint, et Ordinis nostri, et meo nomine, humanissimis precibus oro. P. P. Dom. xv. post Trinitat. A. S. R. CIOCCCLXXVIIII.



ULB Halle


3


002 265 427



(f) Sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

7

25

1778 2147
y

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS
D. GEORGIVS STEPHANVS
WIESANDIVS
PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS CVRIAE
PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSULTORVM ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO

SALVTEM

Inert:
De consiliis estum,
qui ius Romanum ex Germania proferibendum
esse existimant.
J.

